



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXI. Quanto foret Societatis damno ambitus Dignitatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

ras impendi, quibus abstineri, ne ipsa salutis suæ periculo, alienæ prodesset.

Sanè Ignatium in leuioribus si tanta docuit æterni luminis copia, quid Deo maximè placeret; in Præfecturis Ecclesiæ vel admittendis in Societatem, vel ab ea arcendis, ex quo tot vtrisque, tam grauiam necessario sequebantur, dubitari non potest, maior quædam vbertas diuini splendoris illustrasse. Quanquam fortassis alicui, haud ita longè præuidenti, possint quoque nonnulla suppetere, quæ persuadeant in huius rei Constitutione, Ignatium, communis prudentiæ, pietatisque regulis instituisse. Nam demus imprimis, desiderio salutis alienæ; qua vna ex causa tantummodo videtur licere, vt dignitates inducantur in Societatem; si clauem aditus constanter teneat, nec ingressum cuiquam nisi meritis præbeat; damno quidem minus intolerabili id fiet: etsi graue omnino futurum sit, Ordinis florem decerpere, & optimo quoque, atque ad ministeria Ordinis eximie instructo illum minuere; vt si ex corpore laboribus improbis destinato exsudent spiritus maximè viuaces, quibus se vegetat & agit. Vnde illud viri sapientis, verè sapiens responsum; rogatus enim Præpositus Religioni cuidam sanctissimæ, quem inter ceteros ordines, munitissimum putaret, aduersus detrimenta primigenij vigoris Societatem nominauit, vt quæ optimum quodque retineret, nec ab se sineret in dignitates Ecclesiæ abstrahi; deterrimum quodque, ac reprobum dimissionibus laxiorum eiceret; hoc tamen quicquid est iacturæ quæ optimi cuiusque socij fieret, si solum inesset præfecturis sacris in Societatem inuehendis, ferendum vtrumque videretur, modo; quod primitus ardori asserendæ Christo animarum salutis datum foret, negari deinde ambitioni posset. At illa quæcumque sit in dignitates propensio, cum se intra fines meritorum arctare non valeat, meritorum profecto prærogatio iure careant oportet, qui eas captant quam maximè, tum quod iis minimè omnium se dignos sentiunt, qui omnium maximè re ipsa digni sunt; ac si eas metu periculi non vitant, honoris saltem cupiditate non ambiunt; tum quod in cœtu, animarum saluti tot modis, laboribus, ac ministeriis curandæ integrè addicto, pastoris officium candidè, laborum illorum desiderio optari non potest, quorum in Societate quam alibi vsquam seges est maior, & operosior. Tædio igitur disciplinæ, aut libertatis illicio, ambitu, fastidio rectorum, parentum inopia, commoditatum blanditijs trahi oporteret, quotquot fere sacrarum dignitatum splendidis gradibus inhiarent; quibus tamen potirentur pauci; non pauci tamen ad eos grassarentur. Habet enim absentis licet, boni spes longa, & volucris inemptam promulgidem, & dulce quiddam gratuitum quod sine pretio ducitur, & oblectat, videmusque in aulis principum, si vel vnus applicuerit fortunatè, sexcentos conscendere, licet eorum in oculis nauim totidem alij fregerint. In Societate vero quæ homines habet, nobilitate, literis, & ministeriis, etiam in obsequio principum illustres, quanto fuerent hæc procliuiora, quæ suapte sponte ex similibus principiis decurrunt;

nempe

XXXI.

Quanto for-
ret Societatis
damno am-
bitus Digni-
tatum.

nempe in hunc scopum ministeria legere; nullum admittere, nisi sublime, ac splendidum; obire nullum nisi nominis autoritatisque conciliatorem, cuiusmodi sane non fuerit, fidei Christianæ, & Grammaticæ rudimenta pueris tradere; nosocomia, & carceres visere, iisque consentientibus aurem dare; pagos, villas, montana, gentes extra orbem hunc, barbaras missionibus percurfare. Eadem præterea ex scaturigine lutulenta, omnino flueret, aula- rum fores continuè terere; rixis, & aperta nonnunquam infestatione, competitoribus obstare; penetrare se in amicitias Optimatum, nundinarique illorum gratiam, geniis, & conscientia illorum ex utili magis quam recto & bono adplaudendo. Magnarum ad hæc ab cognatis, & viris primoribus intercessionum, promouendis cæptis machinas admouere, ac suos demum euanidos, fluxosque ambitus iisdem opibus virgere, quibus voluit Deus suam vnius gloriam à nobis in Societate procurari. Quin et si nihil inde existeret, præter vitia illa, quæ assiduitas aulica, religiosi hominibus suo contagio affricat (est vero ambientibus necessitatis primariæ regula hæc assiduitas) dici non potest quantoperè essent Societati nocitura: nam quisquis in aula nimius est, vel inde aliud præter Dei obsequium venatur; ferme plus domum reportat de aulico, quam de religioso in aulam tulerat: inde iam sui demissio, secessus, & paupertas; iam sensuum domitus, mensa pura & frugi, iam cætera religiosæ virtuti pretiosa, videri abiecta, & vilia, oculis auro & serico, seruitio, & choragio aulico assuetis; domi ægrè esse deinceps, & in proposito, foris, & extra propositum, cupidè animo, re ipsa si liceat cupidius vagari, ac stare, soluta libertatis saluam regustare, ac si tandem sibi principum clientelam, & fauorem constabiliuerint, nulla tunc vel magis intolerabilis natio, vel à qua necesse sit indigniora tolerari; rem enim suam patroni affectibus dum semper implectunt, id assequuntur vt cunctis timendi, neminem timeant, & vix lapidi illi qui fortè pedem illorum raserit. Disciplina contemptrum necessitatis nomine probari volunt; pœnam eius violatæ, quia suam non audent, patroni iniuriam faciunt; eius & placitis, & verbis, minis quoque, si vsus fuerit, rem gerunt, vt metu mali grauioris, cogantur qui præsent lacunar suspicere, sinantque illos pro impotentia quilibet viuere. Quid linguam quoque perduellem in matrem optimam torquere? quid opinionem fidelis, & incorrupti clientis, famæ illius dispendio apud patronum cauponari? quid effræni licentia quiduis retegere? quiduis pro libidine damnare? nec priuatis, nec publico parcere? Quid improbum quemque, velut in tutelam excipere? partes sibi ex sequacibus conflare? sexcenta alia ex eadem aulæ religiosi hominibus frequentatæ virulenta radice proferri solita, quorum naturam fructusque generatim dum noto, simul oculis subdo quæ Societatem vastatura esset calamitas, si fas illi foret præfecturas optare, illasque ex aulis principum expiscari.

XXXII.

Addam hic quod experti scimus, vitæ, quam sumus Deo propitio fortiti, animam, atque ingenium, cum iis dignitatibus sic pugnare, vt ad eas supremo